

ptum; Ab odio Judæorum, ait, fugit Iesus in gentium terram, que iam ab incunabilis multo affectu eum venerabatur.

Luca 17. n. 19. Et ait illi: Surge, vade; quia fides tua te saluum fecit.

VERSIONES.

Syriacus. Surge, abi, fides tua te servauit.

EXPOSITIO V.

71.



IT illi Iesus. Samaritano nempe: Surge. Prociderat enim in terra ad pedes Iesus, ut dictum est supra num. 16. Vade. Abi quod libet securus iam de recuperata sanitate.

Hugo.

Cardinalis Hugo: Surge, ait, credendo, vade operando; vel surge incipiendo, vade proficendo; vel surge per mali declinationem, vade per boni operationem; vel surge de peccato ad gratiam, vade de virtute in virtutem. Beda, Quia, inquit, infirmitatem suam cognoscens, humiliter ante Deum iacuit: diuina consolatione surgere ad fortiora opera, & ire crescendo usque ad perfectionem iubetur. Quia humiliter prostratus est, humilitas autem fundamentum est virtutum, ideo ei mandatur ad magna opera surgere, ita tamen ut ibi non sistat, sed ut crescendo vadat ad excellentiora.

Beda.

In virtute proficiendum.

72.

Quia, omittitur Græcè, & Syriacè. Fides tua. Postquam de gratitudine Christus hominem laudauit, quod venerit glorificans Deum, laudat etiam eius fidem, quæ non fuit mortua, sed cum operibus. Fides tua, Glossa Ordinaria, que ad agendas gratias inclinavit: è contra perfidia illos damnat, qui de acceptis beneficiis sunt ingrati. Nam quamuis, ut ait Euthymius: Fideles quidem decem fuerint. Tamen, ut iam dixi ex Carthusiano, nouem fuerunt à Sacerdotibus decepti, ut fidem Christi amittentes; ingrati effecti sunt: Fides tua. Valde magna; quæ in operibus suis non est minuta exemplo Iudæorum fociorum: Fides tua. Qua dictis meis firmiter credens ad sacerdotes pergebas; eximia Christi modestia deuitans vanam gloriam, fidei Samaritani, & non sibi adscribit miraculum; nam quamuis ipse fuerit præcipuus miraculi Auctor (ut fides Samaritani fateatur) tamen disposuit, ut fides esset cooperata, præparans Samaritanum, & capacem efficiens tanti beneficii, nisi homo credidisset à Christo non fuisset sanatus. Saluum fecit. Non solum à lepra corporis, sed etiam à lepra animæ, nempe à peccatis. Nam Dei gratia in homine excitatus est actus contritionis, quo iustificatus est, & relinquens errorem Samaritanorum Christo adhæsit, eiusque baptismum postea recepit.

Glossa.

Euthym.

Fides vincit cum actibus virtutum. Rara virtus que malo exemplo non seducitur.

QUESTIO X.

Quare isti Leproso ante curationem, & non postea mandat Dominus, ut se ostendat Sacerdotibus?

ISTE profelytus postquam datis Christo gratis iussus est abire, ut notat Lucas Burgensis, iam amplius non accessit ad Sacerdotes Samaritanos, ut testificaretur sacrificio peracto ipsius mundities, sed ad Ierosolymitanos, quibus promulgauit virtutem Iesu, quam ceteri nouem Iudæi silentio fortasse suppresserunt.

73.

Samaritanus postea tetendit ad Sacerdotes.

74.

Quæstio tamen inquit, quod cum in exordio huius historiarum Leprosi Christo occurrerent, ab ipso sanitatem exposculantes. Iesu præceptor miserere nostri. Dominus eis mandauit, ut se Sacerdotibus ostenderent, ut in templo pro adepta sanitate sacrificia offerrent, ut præceptum erat in lege, Leuitic. 14. num. 4. At verò, postquam hic Samaritanus gratias agens de sua curatione reuersus est, iam non ei iubet, ut offerat præscriptas victimas, sed tantum absolute, Vade, illi ait.

Leuit. 14.

75.

Tertullian.

Ad quæstionem respondet Tertullianus: Vnum illum, ait, solum ex decem memorem diuine gratie Samaritanem miratus Dominus, non mandat offerre munus ex lege, quia satis iam obtulerat, gloriam reddens Deo. Et si antea ei mandauit, ut pergeret ad Sacerdotes, & legalia persolueret, tamen iam nihil eorum præcipit Dominus, cum enim eum vidisset gratias tribuentem, nil aliud ab eo exigit, gratiarum enim actio victima præstantissima, sacrificium suauissimum, in quo omnia legalia abundantissime præsoluebantur.

Gratiarum actio præstantissimum sacrificium.

76.

Exod. 17.

Destructo Amalech. Edificauit Moyses altare Domino, vocauitq. nomen eius exaltatio mea, Exod. 17. num. 15. huicque altari, ut testatur Iosephus, inscriptum est nomen: Victori Deo. Et licet aliqui existiment victimas in hoc altari fuisse Deo oblatas. Tamen Cornelius à Lapide, & alij constanter tenent hoc altare extructum fuisse pro titulo gratitudinis, non verò pro sacrificiis peragendis, & ad hoc est optima coniectura, quia victimarum nulla hic fit mentio, ut in aliis locis exprimitur, & titulus affixus, gratitudinis trophæum indicat. Cur pro prima parta victoria ab Israele, pro inimico rege destructo, pro multisque spoliis comparatis magna animalium sacrificia à Deo non offeruntur? Cur solum illud altare tantum erigitur? Apponebatur illud tanquam gratitudinis monumentum, actionumque gratiarum memoriale perenne; gratiarum actiones, gratitudinisque signa omni victima sunt excellentiora. Philo Alexandrinus lib. de victimis offerentibus: Quantum aurum, ait, præstat lapidibus, tantum acceptior est suffitus gratiarum actionis, quam maculata victima. Gratiarum actio tam suauissimum odorem Deo mittit, ut victimarum suffitus nullus exoptetur.

Ioseph.

Cornel.

Gratiarum actio sublimior victima.

Philo.

77.

Gen. 49. Vatabl.

Benedicens Iacob filios suos ait: Nephthali ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis, Gen. 49. num. 21. Seu, ut legit Vatablus, Ceruus cervus: per quod, ut multis placet, denotatur huius tribus

tribus terræ summa fertilitas, atque agilitas, & celeritas in maturandis fructibus, ita ut prius in illa, quam in cæteris matorum fructus colligerentur; hoc enim significat similitudo cerui emissi, seu celeris, qui sicut tanta currendi præstat dexterritate, ut suo cursu cætera animantia facile antecedar, sic fruges tribus Nephthali, priusquam aliarum tribuum nascebantur: indeque ex ipsis maxime deferebantur in templum oblationes primitiarum pro gratiarum actione ex perceptis terræ prouentibus. Sed cur additur de Nephthali, dans eloquia pulchritudinis? quænam connexio inter fructus citò maturescentes, ac eloquia pulchritudinis? Germinabat Nephthali fructus, qui inseruiebant ad gratiarum actionem in templo, indeque dabat eloquia pulchritudinis. Nullum elegantius, ac præiucundius eloquium, quam illud, quod resonat in gratiarum actione, quæ cum huiusmodi prouentibus à Sacerdotibus in templo decantabantur. Abulensis, De istis, ait, nouis fructibus, & frugibus, que nascebantur in sorte Nephthali, offerebantur oblationes primitiarum in templo, & propter has pulchras laudes, Domino personabant, que vocantur eloquia pulchritudinis.

Gratiarum actio pulcherrimum eloquium.

Abulens.



CAPVT XIV.

IESVS in festo Scenopegiæ, seu Tabernaculorum.

Ioannis 7. n. 1. Post hæc autem ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæa ambulare: quia quærebant eum Iudæi interficere.

Num. 1. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia.

VERSIONES.

Vatablus n. 1. Versabatur autem Iesus post hæc in Galilæa, non enim volebat in Iudæa versari.

D Chrysostom Non enim poterat in Iudæa versari.

Syriacus. Propter Iudæos: quippe qui studebant eum trucidare.

Arabicus n. 2. Cum propinquasset dies festus Tabernaculorum Iudæorum.

Syrus. Prope erat festum Iudæorum, Conopea.

EXPOSITIO I.

1. Ioan. 6.

POST hæc. Quæ scilicet, Ioannes narrat cap. 6. de multiplicatione panum, ac de admirabili Eucharistiæ sermone: non tamen immemora Sylueira in Euang. Tom. IV.

diarè. Nam multiplicatio panum accidit prope Pascha, Ioannis 6. num. 4. quod celebratur mense Martij; hæc autem acciderunt in festo Scenopegiæ, quæ incidebat mense Septembri; & ideo cum Euangelista hoc festum hic exprimat, ut docent Chrysostomus, S. Thomas, D. Bonauentura, Carthusianus, denotat, quod multum temporis interiecit ab his, quæ hic describuntur; ab illis, quæ cap. 6. narrantur, sex scilicet menses, in quibus Christus Dominus egit, quæ refert D. Matth. cap. 15. 16. & 17. ac 18. quæ huculque à nobis sunt explicata. Ex his etiam aperte constat, quod post multiplicationem quinque panum, ad celebrandum sequens Pascha, sicut & Pentecostes festum non profectus fuerit Iesus in Ierusalem, sed manserit in Galilæa; non enim ita rigide obseruabatur illud præceptum, de adeundo locum, quem elegisset Dominus ter in anno. Exod. 23. num. 17. Deuter. 16. num. 16. ut ille transgressor legis iudicaretur, qui deesset; sed multas multorum admittebat exculationes, ut ad citata loca aduertunt expositores.

Chrysost. D. Thom. Bonau. Carthusian.

Matth. 15.

Exod. 23. Deuter. 16.

2.

Ambulabat Iesus in Galilæam, seu in Galilæa, hoc est versabatur, debebatque per Galilæam; non enim volebat in Iudæam ambulare, seu illic proficisci. Chrysostomus, Euthymius legunt: Non poterat versari, hoc est nollebat; sæpe enim, ut notat D. Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theologia, non posse, ponitur pro nolle. Marc. 6. num. 5. Non poterat ibi virtutem ullam facere. D. Cyrillus Alexandr. lib. 4. in Ioannem, cap. 31. Magna, ait, profecto hæc Iudæorum accusatio est, quorum crudelitate fiebat, ut apud alienigenas duceret. Sequitur textus: Quia quærebant eum Iudæi interficere: assignat Euangelista rationem, ut aduertunt D. Thomas, D. Bonauentura; quam ob causam Christus non sit profectus ad Pascha, quia in Iudæa tutus non versabatur. Iudæi enim quærebant occasionem ad eum interficiendum; dicebant enim, quod Sabbatum non custodiebat. Suprà Ioannis 5. num. 18. & quanquam Dominus si vellet in medio Iudæorum stans poterat eorum furorem declinare, ac euitare, ut fecit quando Nazareni eum præcipitate voluerunt, Luc. 4. num. 3. tamen noluit hoc in præsentia facere, sed duabus de causis apud Galilæos demonstratur. Primò, ut docent D. Augustinus tract. 28. Beda, D. Thomas exemplum nobis exhibere voluisse pericula euitandi, persecutionisque fugiendi. Secundò D. Chrysostomus, Ammonius, Theophylactus, Euthymius, Carthusianus, se voluisse verum hominem, & non phantasticum demonstrare. Theophylactus, Timuit Dominus, ait, volens in hoc se hominem ostendere. Maiestas Christi non respuit ostendere humilitatem naturæ assumptæ.

Chrysost. Euthym. Nazianz.

Marc. 6. Cyrillus.

Homo apud externos acceptior.

D Thom. Bonauent.

Ioan. 5.

Luc. 4.

August. Beda.

D Thom. Chrysost. Ammon.

Theophyl. Euthym. Carthul.

3.

Erat autem in proximo. Ex his patet, quod hæc non acciderunt immediatè post dicta cap. 6. ut iam notauimus. Dies festus Scenopegiæ. Hæc Ioannes scribit, ut aperiat occasionem sequentis historiarum, quo scilicet motiuo incitatus fuisset Iesus, ut in Iudæam tenderet, prætextu scilicet celebrandi festum Scenopegiæ, quod Græcè Tabernaculorum fixationem significat: de quo quæstione sequenti.

\* \* \*

X 2 QVA

QVÆSTIO I.

Explicatur qualenam esset festum Scenopegia.

4. Nominis etymologia. Abulen. Radulph.

In hac re distincè procedamus, de quo multa valde permixtim dixerunt Auctores, ab etymologia nominis incipiamus. Improbabiliter Abulenſis & Radulph. Leuit. 23. volunt nomen deduci à verbo Græco, Scena, quod significat comedere, eo quòd Hebræi in hoc festo comedebant in publico, ac communi loco; certum tamen est, quòd Scenopegia deriuatur à verbo Græco, Scenam; & significat tabernaculum, seu umbraculum, seu tabernaculorum fixio, vt alij volunt. Ita Caietanus, Ianſenius, Maldonatus, Toletus, Barradas, & alij. Syrus autem legit, Conopea. Conopeum proprie est velum quoddam lineum, vel sericum, quo lectuli circumdantur; & inde per metaphoram denotantur tententoria quædam.

5. Tres solemnitates. Leuit. 23.

Festum Scenopegia erat valde celebre, & vnum ex tribus, in quibus omnis Israelita, nisi aliàs daretur legitima excusatio, tenebatur venire in Hierusalem, vt patet ex citatis locis in expositione. Primum festum erat Paschæ, quòd solemnizatur mense primo die decimaquarta, Leuit. 23. num. 5. in memoriam, quòd volens Deus eripere Israel de Ægypto, Angelus transibat percussiens primogenita Ægyptiorum, parcens Hebræorum primogenitis. Secundum festum erat Pentecostes, quòd quinquagesima die à festo Paschæ celebrabatur, Leuitic. 23. num. 15. & Deuteronom. 16. num. 10. Tertium festum erat Scenopegia, seu tabernaculorum, quòd fiebat à die decimoquinto mensis septimi, Leuitic. 23. numer. 34. & Deuteronom. 16. num. 13. scilicet Septembris.

6. Festum Scenopegia.

Hoc autem festum primò institutum fuit, in memoriam diuinæ Protectionis, quæ per quadraginta annos Hebræos per desertum protexit, vt sine domibus in tabernaculis hieme, & æstate vixerint. Vnde in deserto nunquam hoc festum fuit solemnizatum, quia ibi ipsa rei veritas, & quasi continuum tabernaculorum festum agebatur, postquam autem venerunt in terram Promissionis, hoc festum quotannis celebrabatur. Hæc autem tabernacula construebantur ex lignis, vel ramis, vel pellibus, vel ex linteis, vt fit in tentoriis castrensibus; loca autem, in quibus fiebant, partim erant in vrbe, v.g. in plateis, foris, artiis, hortis, quin etiam in domatibus, id est super domorum tecta, Eldra lib. 2. cap. 8. num. 16. Partim etiam fiebant extra urbem per agros, & montes, prout quisque volebat.

7. Ioseph.

Coniectura huius rei est manifesta; nam cum omnes Hebræi ex tota Iudæa conuenerint Hierosolimam ad hoc festum, singulæ familiæ singula fabricabantur tentoria, seu tabernacula, vt ait Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 10. Neque enim tot intra urbem construi poterant: est enim valde probabile, tabernacula ita fuisse disposita, vt singulæ familiæ seorsum, omnèque per vicos & plateas distinctæ, & ordinatæ habitarent; ita enim fiebat cum per desertum incederent, in cuius rei memoriam talis dispositio aptabatur.

8.

Secundò. Hoc festum institutum fuit in fine

anni, putà Septembri, post collectas omnes fruges, vt de eis gratias agerent Domino. Vnde ait Theophylactus, quòd multi existimant, Psalmi v.g. 8. & 80. & 83. Qui inscribuntur pro torcularibus, qui pro hoc festo compositi dicuntur à Dauid. Per singulos septem dies huius festiuitatis victimæ, & sacrificia offerebantur. Vt præscribitur Num. 29. num. 14. Denique octauus dies festi tabernaculorum, seu Scenopegia erat celeberrimus, & à Ioanne infra num. 37. vocatur dies magnus festiuitatis, in eoque fiebant cætus, seu collectæ, Leuit. 23. num. 36. quas collectas fuisse elemosynarum, seu pecuniarum ad templi expensas existimant ibi Abulenſis, Lyranus, Caietanus, Oleaster, & hic in Ioannem Toletus, has autem collectas fuisse communem gratiarum actionem, ac magnum applausum, quo festiuitas tabernaculorum claudebatur; ex multis tenet & probat Cornelius à Lapide citato Leuitici loco.

- Ioannis 7. n. 3. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt discipuli tui videant opera tua, quæ facis.
Num. 4. Nemo quippe in occulto quid facit, & querit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta te ipsum mundo.
Num. 5. Neque enim fratres eius credebant in eum.

VERSIONES.

- Syriacus n. 3. Decede hinc, & vade in Iudæam.
Græcus. Vt discipuli tui aspiciant opera tua.
Græcus n. 4. Et querit ipse in libertate dicendi esse.
Vatablus Declara te ipsum mundo.

EXPOSITIO II.

DIXERVNT autem ad eum, fratres eius: id est consanguinei, vt multoties explicauimus variis in locis. Vide tom. 3. cap. 25. expositione 1. num. 2. Hi autem consanguinei non erant filij Ioseph, vt opinantur D. Cyrillus, Leontius, & Euthymius. Nam Ioseph semper virgo permansit, tom. 1. lib. 1. cap. 10. Nec etiam fuerunt Iacobus Alphæi, & Iudas fratres eius, vt vult Chryostomus homil. 47. Nam hic dicitur statim num. 5. Neque fratres eius credebant in eum. De Apostolis autem dicitur supra cap. 6. num. 70. Nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei viui. Hi ergo fratres, qui hæc dixerunt, cum non essent credentes, non erant de numero duodecim, qui credentes erant, vt docent D. Hieronymus epistol. ad Galat. cap. 1. D. Augustinus tract. 28. in Ioannem, D. Thom. hic: Toletus annot. 3. Erant ergo quidam consanguinei ab Apostolis diuersi.

Theophyl.

Num. 29.

Leuit. 23.

Abulenſis, Lyran. Caietan. Oleaster. Tolet.

Cotnel.

9. Qui fratres.

Cyillus. Leont. Euthymius.

Chrysoſt.

Ioan. 6.

Hieron. August. D. Thom. Tolet.

Transi

QVÆSTIO II.

Quo animo Christi consanguinei, suadent eum ascendere Hierosolimam.

10. Chrysoſt. Ex consanguinitate, ac amicitia oritur confidentia ad loquendum. Transi hinc. D. Chryostomus citato loco: Fratres eius, ait, intempeſtina quadam confidentia locuti sunt; putabant cognationis gratia oportere se ſidenter loqui. Consanguinitatis, ac amicitia prætextu multam confidentiam in dicendo conceperant. Transi hinc. A Galilæa, ac Capharnaog ignobili loco. Et vade in Iudæam. Proficiscere nobiscum in Iudæam ad Hierosolimam, totiùs gentis Israelitica caput; instat enim festum Scenopegia, ad cuius solemnitatem Iudæi vndique confluxuri sunt. Vt discipuli tui: id est tui studiosi, tuæque doctrinae sectatores, vt explicant D. Chryostomus, D. Bonauent. quos ibi nuper prædicantur tibi comparasti. Videant. Græcus, spectent, opera quæ facis. Valde miranda, vt illis cognitissimè in fide confirmantur; nouæ plantæ, ac incipientes in virtute, multis documentis sunt irritandi, ac fouendi. Notandum, quòd non exhortantur distinctè, vt edat in Iudæa miracula, sed vt videant opera tua, quæ facis. Monent scilicet vt ea, quæ operabatur in Galilæa faceret, & in Iudæa; seu cum Christus iret in Iudæam secum deferret suam pietatem, & clementiam, vt multis donis in cunctos distunderet.

11. Nemo quippe. Addunt consanguinei alteram rationem ad inducendum Christum Dominum, vt pergat in Iudæam. Nemo in occulto quid facit: id est nemo, quòd facit abscondite, ac priuato in loco. Querit. Desiderat, cupit, & affectat; qui enim vult, vt aliquid sui in omnium ore habeatur, ac fateatur, debet illud in omnium oculis edere; sensus totius sententia est, ac si dicat: Tu ô Christe queris ab hominibus recipi, & colitanquam verus Christus, ac Messias, fac opera tua non in obscure Galilæa regione, sed in loco, & tempore valde publico, vt omnibus sint nota. Alij legunt: Et querit in libertate dicendi esse: hoc est, nemo in occulto facit quid magnum, & vult liberè, & palam prædicari ab hominibus. Si hæc facis. D. Chryostomus homil. 47. Euthymius, D. Thomas, D. Carthusianus & alij exponunt per modum dubij, id est si verè, & non apparenter hæc facis, seu si veram virtutem hæc mira perpetrandi habes? Aptius tamen dicendum cum D. Augustino tractat. 28. D. Cyrillo lib. 4. cap. 32. Toletus, & aliis hæc verba idem valere, cum tam admiranda facias opera, omnibus te manifesta, vt suis oculis videant opera tua. In hoc maximè hominum temeritas, ac præsumptio notanda est, quæ Christum admonere, ac taxare intendebat in his, quæ ad suum munus spectabant, tanquam si in illis non se rectè gereret.

12. Neque enim fratres eius. Tacita obiectioni occurrit Euangelista ostendens, quòd ex incredulitate processit, quòd Christus tam audenter, ac confidenter aduocent. Credebant in eum. Ideoque secum volebant Christum ire in Hierusalem, vt ibi sua mirabilia opera ederet; nam licet ipsi crederent, illa esse verè miracula, tamen ob eius humilitatem, & paupertatem dubitabant, an ipse esset verus Messias, ideo exhortabantur ire secum in Hierusalem, vt ibi Pontifices, ac legis periti eius opera examinarent, ipsùmque esse Christum declararent.

10. Chrysoſt.

Ex consanguinitate, ac amicitia oritur confidentia ad loquendum.

Chrysoſt. Bonauent. Græcus.

Vbi Christum vadit, ibi eius pietas vadit, vt in cunctis distendatur.

11.

Chrysoſt. Euthym. D. Thom. Carthuf.

August. Cyrill. Tolet.

Homini præsumptio existimat Deum posse admonere.

12.

Sylueira in Euang. Tom. IV.

13. In limine huius quæstionis notandum est, quòd cum tres essent festiuitates, Paschatis scilicet, & Pentecostes, ac Scenopegia, vt notauimus superiori quæstione; in quibus omnes Israelitæ tenebantur deuenire in Hierusalem, tamen Christi consanguinei non suadent, illuc petere, nec in Paschate, quòd incidebat mense Martio, nec in Pentecoste, quòd erat quinquaginta diebus post Pascha, sed in hoc festo Scenopegia, quòd in fine mensis Septembris celebrabatur, Abscesserat Christus Dominus à Iudæa, quia quærebant eum Iudæi interficere. Ioan. hoc cap. num. 1. in mense Martio scilicet in Paschate, & etiam Pentecoste, adhuc multum videbatur vigere, & feruescere odium Iudæorum ob paralyticum sanatum in Sabbato. Hoc cap. Ioan. 7. num. 23. At verò in Scenopegia, seu fine mensis Septembris tanto tempore intercedente, odium iam mitigatum, ac sedatum prælumbatur, & ideo tunc suggerunt, vt vadat in Hierusalem; seu quia pro tanto negotio eius aduentus in Iudæam, iam sufficiens tempus videbatur interpositum. Vide supra cap. 12. num. 25.

14. Ad nostram quæstionem respondet primò Toletus annot. 4. quòd Christi consanguinei, videbant eius excellentissima opera; dubitabant tamen an ipse esset Messias? ideo sua incredulitate ducti suadebant Iudæam petere, vbi erant Scribæ, ac Doctores legis, vt eo in loco res discerneretur, ac ipsi dubium deponerent, quo perplexi torquebantur. Vide supra cap. 8. num. 12.

15. Secundò. D. Augustinus tractat. 28. in Ioannem, existimat hæc dixisse Christi consanguineos affectu inanis gloriæ ductos. Idem docet D. Cyrillus lib. 4. in Ioannem cap. 32. Videntes, ait, propinqui Christi miracula ab eo occultius in Galilæa fieri, ad inanem gloriam hortantur, quasi ad hoc ille signa faceret, vt laudem ab hominibus consequeretur. Idem etiam docent Beda, Rupertus, S. Thomas, D. Bonauentura, D. Carthusianus, Hugo, & alij, qui sic explicant. Christi consanguinei optabant, vt ipse per miracula, ac opera sua clarificaret, vt inde ipsi tanquam eius consanguinei maximè à populo honorarentur, ac multis muneribus afficerentur; insuper gratiam principum, ac pontificum sibi conciliarentur, à quibus ad magna reipublicæ officia, ac beneficia promoueri sperabant. Perpense horum hominum ingenium, non enim suadent, vt ad diem festum deueniat, orandi gratia, sed vt honorem, ac famam apud homines comparet, in quo maximè decipiuntur, non enim famæ, sed iustitiæ consulendum est; quòd eleganter dixit D. Laurentius Iustinianus lib. de Humil. cap. 9. Consiliarius, ait, itaque ac eligibilis inuorsus per humilitatem Dei, ac propria conscientia gaudere testimonio, quam exterius ad tempus per elationem humana opinione, atque dignitate florere.

16. Obiciet contra hanc tantorum Patrum sententiam. Euangelista innuit hanc suasionem ex incredulitate exortam: subdit assignans rationem. Neque enim fratres eius credebant in eum. Respondet

13.

In magnis rebus tempus interponendum.

14. Tolet.

Dubium maximè torqueat animus.

15. August. Cyrill.

Beda. Rupertus. D. Thom. Bonauent. Carthuf. Hugo. Homines studiosi inanis gloria.

Non fama, sed conscientia consulendum. Laurent.

16.

X 3 detur